

ab ipso menstrualiter originaliter proveniunt: Imo est matrix, in qua hujus modi recipiuntur, quæ non differt ab ipso sanguine, neque totum corpus scilicet utriusque viri & mulieris: vide ergo qualiter ego operer in una re, quæ quidem non differt, nisi in combinatione Elementorum. Imitare me ergo in opere tuo & lætaberis, & tunc verificabitur illud dictum ante primitus assumptum, natura te docebit; Quod si ab isto itinere declinaveris nunquam ad bonum finem pervenies; eo quod in portentis non delector. Scias itaque fili, quod attractio ferri à magnete propalat atque manifestat sapientibus majorem partem secretorum meorum: quia per hoc perpēdis quod attractio non fit in animalibus duntaxat, sed est in lapidibus, dispone ergo materiam tuam sagaciter, & considera bene naturam ejus per ea, quæ superius dicta sunt; per hoc enim cognosces formam sibi congruam atque operi tuo convenientem; qua habita nihil tibi deerit.

Attractio ferri à Magnete propalat secreta naturæ.

CAPUT VIII.

Quid sit depuratio, & sine illa vix quicquam boni operabitur in hac arte, quia totum magisterium in materia preparatione consistit, & quod Aurum vulgi non sit lapidis materia.

Filius. O Domina, ego te obsecro, ut mihi dicas, quare Philosophi dicunt solem exaltari in arietem debere, an ibi sit motus Arietis observandus? ipso supple ascendente vel sole ibidem conveniente?

Natura. O fili scias, quod Philosophi non dicunt hoc, ut motus cæli movetur eo quod omni hora & momento est generationi atque corruptioni congruus; quia hoc dicunt quod sol superius exaltatur in arietis signo, quod est Saturni casus & domus Martis est; quia est totus colericus, sic oportet quod sol infernus, unde opus tuum fit, exaltetur in domo Martis, in ariete scilicet, qui est tuus clibanus, in quo deprimitur frigiditas, quæ est propria Saturno, & calor exaltatur, qui est causa exaltationis tui solis.

Medicinam exaltare oportet. nam quod in illa est frigiditas mutet qualitatem.

Filius. Quomodo Domina, non intelligio, quod sol noster exaltetur propter clibani calorem, quia perfectus est, ut omnes Philosophi testantur.

Natura. Intellige fili, quod virtute ignis sol tuus depuratur, quæ quidem depuratio à Philosophis pro exaltatione intelligitur; & quia in ariete sol incipit ascendere ad augem, id est ad suum fastigium, quod ulterius ascendere non possit; simili modo sol tuus semper exaltatur, usque ad finem operis.

Depuratio dicitur exaltationis.